



Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. II. An in mundo sint Angeli?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

§. II.

An in mundo sint Angeli?

Angeli quoque videntur in hac rerum universitate necessarij. Propositio hæc non quidem ita evidenter, ut prior, efficaciter tamen probatur; quia ad hanc Dei gloriam requiritur creatura, quæ non obscuram tantum, sed claram habeat cognitionem, tum singularum Universi partium, tum omnium simul, quatenus constituunt unum totum, in quo mira proportio, convenientia, & ordo reperitur: sicut in poemate, oratione vel tragœdia, præcipuum ornamentum est apta omnium partium dispositio & connexio; atqui præter Angelos alia creatura non habet hanc cognitionem, cum humani ingenii vires longè transcendat: quomodo enim homo, qui non capit ea, quæ palpat manibus, & usurpat oculis, comprehendet ea, quæ vel sunt in terræ visceribus recondita, aut in cælis remotissima? quomodo totum capiet complexum, qui vix unam ejus partem comprehendit?

Id confirmant aliqui 1. quia DEUS debebat naturaliter posse hominibus præsertim justis exhibere peculiaria aliquos favores in eorundem gubernatione, puta in avertendis fulminibus, ventis, pluviis, &c. nam ad hujusmodi favores à Deo petendos naturali instinctu feruntur homines, nec naturalia horum merita excedunt: ergo debebant naturaliter esse possibiles, consequenter de causa secunda providere debuit DEUS, si quæ erat possibilis, nec est alia præter Angelos. Id confirmant alii 2. ex eo, quod ordinatissimus globorum cælestium motus per aliam causam creatam melius explicari non posse videatur, quam per motores aut saltem dirigentes Angelos, de quo alibi.

At dices: gloriosum est Deo, ut à nulla creatura limitata comprehendi possit: ergo eidem gloriosum erit, si ipsius opus à nulla creatura comprehendatur, unde Angeli non erant necessarij. Deinde si creatura posset opus divinum comprehendere, nihil aliud posset circa illud à Deo doceri, quod pro creatura nimium videtur. R. ne. conseq. cum enim gloria consistat in clara cum laude notitia, quod major hæc erit, eò major in Deum redundabit gloria, & mundo major accedet perfectio, si præter reliquas etiam habeat creaturam potentem illum comprehendere: quod autem Deo gloriosum sit, quod à creatura comprehendi non possit, ratio est, quia aliàs non esset in omni genere perfectionis infinitus, si ab intellectu limitato comprehenderetur. Alterum quoque negatur; licet enim Angelus hanc rerum universitatem comprehenderet, posset tamen adhuc multa doceri circa futuros actus liberos, circa aptitudinem rerum ad fines supernaturales, uti fuit aptitudo naturæ humanæ ad unionem hypostaticam, & circa alia, quæ in Dei potentiâ fundantur.

§. III.

An etiam homo sit in mundo necessarius?

Positis reliquis probabilius etiam hoc in mundo dari debuit homo. Id suadet, quia aliàs hoc universum videretur mancum, & nimis notabilem haberet hiatus, si tam nobilis ipsi deesset pars, qualis est homo, in medio velut spiritualement inter & corpoream naturam constitutus, & ex utraque parti-